



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Articvlvs Primvs. Vtrum Trinitas diuinarum personarum poßit per
naturalem rationem cognosci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

Ratio ordinis huius questionis ad precedentes, & articulo-
rum eius inter se.

DISSERVIT hucusque S. D. de diuinis personis absolute, & de earum pluralitate, & de pertinentibus ad pluralitatem; nunc agit de eisdem diuinis personis, quomodo cadat sub nostra cognitione, i. quomodo à nobis cognoscantur. In qua questione sunt quatuor quaestiones. Primum agit de cognitione naturali; reliqua tria de cognitione supernaturali, quae habetur per notiones, quae sunt rationes cognoscendi diuinis personas; De quibus notionibus tria quaerit. Primum, an sint in diuinis, in 2. ar. Secundum, quid sint & quot sint, quod pertinet ad questionem quale aliquid est, vel potius ad questionem quid est in particulari, dum totum quasi vniuersale distinguitur in suas partes subiectiuas, & proprie singularum rationis explicatur. Postremo quaerit de earum certitudine quo ad nos, siue quodam effectu consequente opinionem contrariam veritati, in duobus articulis precedentibus determinatur. hic vero est error in fide siue crimen haereticis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Virum Trinitas diuinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quod Trinitas diuinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci. Philosophi enim non deue-
runt in Dei cognitionem, nisi per rationem naturalem. Inueniuntur autem à Philosophis multa dicta de Trinitate personarum. Dicit enim Aristoteles in 1. de ca. & mun. Per hunc numerum scilicet ternarium, adhibuimus nos ipsos magnificare Deum vnum, eminentem proprietatibus eorum, quae sunt creata. Augustinus etiam dicit 7. confess. Ibi legi scilicet in libris Platoniorum, non quidem his verbis: sed hoc idem omnino multis, & multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & huiusmodi quae ibi sequuntur. In quibus verbis distinctio diuinarum personarum traditur. Dicitur etiam in glo. Roman. 1. & Exod. 7. quod magi Pharaonis defecerunt in tertio signo, id est, in notitia tertiae personae, scilicet Spiritus sancti. & sic ad minus duas cognouerunt. Trimegistus etiam dixit, Monas genuit monadem, & in se suum reflexit ardorem. Per quod videtur generatio Filij, & Spiritus sancti processio intimari. Cognitio ergo diuinarum personarum potest per rationem naturalem haberi.

2. Præterea. Ricard. de sancto Victore dicit in libr. de Trinit. *Credo sine dubio, quod ad quamcunque explanationem veritatis, non modo probabilia, immo etiam necessaria argumenta non desunt. Vnde etiam ad probandum Trinitatem personarum aliqui induxerunt rationem ex infinitate bonitatis diuinae, quae seipsam infinite communicat in processione diuinarum personarum. Quidam vero per hoc, quod nullius boni sine consortio potest esse iucunda possessio. Augustinus *verò procedit ad manifestandum Trinitatem personarum, ex processione verbi, & amoris in mente nostra. Quam viam supra secuti sumus. Tergo per rationem naturalem potest cognosci Trinitas personarum.

3. Præterea. Superfluum videtur homini tridere, quod humana ratione cognosci non potest. Sed non est dicendum, quod traditio diuina de cognitione Trinitatis sit superflua. Ergo Trinitas personarum ratione humana cognosci potest.

A Sed contra est quod Hilari. dicit in libr. 1. de Trinit. Pag. 5. d. Non putet homo, sua intelligentia generationis Sacramentum posse consequi. Ambrosius etiam dicit: Impossibile est generationis scire secretum. Mens deficit, vox silet. Sed per originem generationis & processionis, distinguitur Trinitas in personis diuinis, ut ex supra dictis patet. *Cum ergo illud homo non possit scire, & intelligentia consequi, ad quod ratio necessaria haberi non potest, sequitur, quod Trinitas personarum per rationem cognosci non possit.

Respondeo. Dicendum, quod impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis diuinarum personarum peruenire. Ostensum est enim supra, quod homo per rationem naturalem in cognitionem Dei peruenire non potest, nisi ex creaturis.

B Creatura autem ducunt in Dei cognitionem sicut effectus in causam. Hoc igitur solum ratione naturali de Deo cognosci potest, quid competere ei necesse est, secundum quod est omnium entium principium. & hoc fundamento vsi sumus supra in consideratione Dei. Virtus autem creatura Dei est communis toti Trinitati. Vnde pertinet ad unitatem essentiae, non ad distinctionem personarum. Per rationem igitur naturalem cognosci possunt de Deo ea, quae pertinent ad unitatem essentiae, non autem ea quae pertinent ad distinctionem personarum. Qui autem probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Primum quidem, quantum ad dignitatem ipsius fidei, quae est, ut sit de rebus inuisibilibus, quae rationem humanam excedunt. Vnde Apostolus dicit ad Hebr. 11. quod fides est de non apparentibus. & Apost. dicit 1. Corint. 2. c. Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam verò non huius seculi, neque principum huius seculi: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est. Secundo, quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quae non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim, quod huiusmodi rationibus imitatur, & propter eas credamus. Quae igitur fidei sunt, non sunt tentanda probare nisi per auctoritates, his qui auctoritates suscipiunt. Apud alios verò sufficit defendere non esse impossibile quod praedicat fides. Vnde Dio. *dicit 2. c. de diu. no. Si aliquis est, qui tot aliter eloquij resistit, longe erit à nostra philosophia. Si autem ad veritatem eloquiorum scilicet sacrorum respicit, hoc & nos canone vitimur.

Ad Primum ergo dicendum, quod Philosophi non cognouerunt mysterium Trinitatis diuinarum personarum per propria, quae sunt paternitas, filiatio, & processio, solus Deus secundum illud Apost. 1. ad Cor. 2. Loquimur Dei sapientiam, quam nemo principum huius seculi cognouit, id est, philosophorum, secundum glo. Cognouerunt tamen quadam essentialia attributa, quae appropriantur personis, sicut potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto, ut infra patebit. c. Quod ergo Aristot. dicit per hunc numerum adhibuimus nos ipsos, &c. non est sic intelligendum, quod ipse poneret ternarium numerum in diuinis. Sed vult dicere, quod antiqui utebantur ternario numero in sacrificijs, & orationibus, propter quandam ternarii numeri perfectionem. In libro etiam Platoniorum inuenitur, In principio erat verbum, non secundum quod verbum significat personam genitam in diuinis: sed secundum quod per verbum intelligitur ratio idealis, per quam Deus omnia condidit, quae filio appropriatur. Et licet appropriata tribus personis cognoscerent, dicuntur tamen in tertio signo defecisse, id est, in cognitione tertiae personae, quia à bonitate, quae Spiritui sancto appropriatur, deuiarunt, dum cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, ut dicitur Roman. 1. vel quia ponebant Platonem vnum primum ens, quod etiam dicitur.

In li. qui dicitur Prima per Dial. 4.

Li. 1. de Tri. cap. 4. circa princ.

Lib. 10. de trim. c. 11. & 12. & lib. 9. c. 4. & seq. 10. 3. 7. 12. 17. a. 1. & 3.

Ambr. li. 1. de fide ad Gratian. c. 5. ante med. 10. a. 2. 230. a. 2.

Q. 12. a. 4. c. 12.

c. 2. non ual. in rem. ad prima.

109

dicebant esse partem totius vniuersitatis rerum, consequenter ponebant aliam substantiam sub eo, quam vocabant mentem, vel paternum intellectum. In qua erant rationes omnium rerum, sicut Macrobius^{*} recitat super somnium Scipionis. Non autem ponebant aliquam substantiam tertiam separatam, qua videretur spiritui sancto respondere. Sic autem nos non ponimus patrem & filium secundum substantiam differentes; sed fuit error Origenis, & Arii[†] sequentium Platonicos. Quod verò Trimegistus dixit, Monans monadem genuit, & in se suum reflexit ardorem, non est referendum ad generationem filij, vel processionem spiritui sancti, sed ad productionem mundi. Nam vniuersus Deus produxit vnum mundum propter sui ipsius amorem.

* Li. 1. non multa procul à medio illius.

† Origenes In 1. super illud, Et Deus erat verbum. Et idem refert Hieronimus in ep. ad Paulum Machab. & Oceanus, quae incipit Scholae quas 10.2.

D. 588.

342.
335.
C

Tract. 27. in Rom. circa med. 10. 9.

Ad Secundum dicendum, quod ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio. Vno modo ad probandum sufficienter aliquam radicem: sicut in scientia naturali inducitur ratio sufficiens ad probandum, quod motus caeli semper sit vniformis velocitatis. Alio modo inducitur ratio, non qua sufficienter probet radicem: sed qua radici iam posita ostendat congruere consequentes effectus. Sicut in astrologia ponitur ratio eccentricorum, & epiciclorum ex hoc, quod hac positione facta, possunt saluari apparentia sensibilia circa motus celestes: non tamen ratio hac est sufficienter probans, quia etiam forte alia positione facta saluari possunt. Primo ergo modo potest induci ratio ad probandum Deum esse vnum, & similia. Sed secundo modo se habet ratio qua inducitur ad manifestationem Trinitatis, quia scilicet Trinitate posita congruunt huius rationes, non tamen ita, quod per has rationes sufficienter probetur Trinitas personarum. Et hoc patet per singula. bonitas enim infinita Dei manifestatur etiam in productione creaturae, quia infinita virtutis est ex nihilo producere. & Non enim oportet si infinita bonitate se communicat, quod aliquid infinitum à Deo procedat: sed secundum modum suum recipiat diuinam bonitatem. Similiter etiam quod dicitur, quod sine consortio non potest esse iuncta possessio alicuius boni, locum habet quando in vna persona non inuenitur perfecta bonitas. Vnde indiget ad plenam iuncturam bonitatem, bono alicuius alterius consociari sibi. Similitudo autem intellectus nostri non sufficienter probat aliquid de Deo: propter hoc, quod intellectus non vniuerso inuenitur in Deo & in nobis. Et inde est, quod Augustinus[†] super Ioan. dicit, quod per fidem venit ad cognitionem, & non è conuerso.

Ad Tertium dicendum, quod cognitio diuinarum personarum fuit necessaria nobis dupliciter: Vno modo, ad recte sentiendum de creatione rerum. Per hoc enim, quod dicimus Deum omnia fecisse verbo suo, excluditur error ponentium Deum produxisse res ex necessitate naturae. Per hoc autem, quod ponimus in eo processionem amoris, ostenditur, quod Deus non propter aliquam indigentiam creaturas produxit, neque propter aliquam aliam causam extrinsecam: sed propter amorem suae bonitatis. Vnde & Moyses, postquam dixerat. In principio creauit Deus caelum & terram, subdit: Dixit Deus: Fiat lux, ad manifestationem diuini verbi. Et postea dicit: Vidit Deus lucem quod esset bona, ad ostendendum probationem diuini amoris. Et similiter in alijs operibus. Alio modo & principalius ad recte sentiendum de salute generis humani, qua perficitur per filium incarnatum, & per donum Spiritui sancti.

Sensus quasi.

IN hoc quaesito obseruandum est primo dictionem illam cognosci teneri amplissime, vt extenditur ad cognitionem an est, & cognitionem quid est, ad cognitionem certam & euidentem, quae ha-

betur per demonstrationem, & dicitur scientia; & ad cognitionem probabilem, quae est opinio. Secundo particula illa rationem naturalem, denotat causam per se sufficientem secluso quocunque principio, vel lumine supernaturali etiam inferiore ipsa fide; qualis est cognitio haereticorum, quam habent de mysterijs fidei, vel quicunque infideles ex relatione fidelium.

Forma Textus.

S. Th. ad quaesitum respondet duabus conclusionibus, quarum

PRIMA est. Impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis diuinarum personarum peruenire. Probatur. Hoc solum cognitione naturali de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse est, secundum quod est omnium entium principium, secundum scilicet quod habet virtutem creatiuam & conseruatiuam: at virtus creatiua Dei est communis toti Trinitati & pertinet ad essentiae vnitatem, & non ad distinctionem personarum; Ergo per rationem naturalem cognosci tantum possunt de Deo ea, quae pertinent ad vnitatem essentiae, non autem quae pertinent ad distinctionem personarum. Minor patet. Maior probatur. Homo per rationem naturalem non potest in Dei cognitionem peruenire nisi ex creaturis: at creaturae ducunt in cognitionem Dei sicut effectus in causam; ergo hoc solum etc. Maior huius argumenti patet ex dictis supra q. 12. a. 12. & q. 2. a. 3. vbi ex creaturis probauit Deum esse vt supremam omnium causam &c.

SECUNDA CONCL. est. Qui probare nititur Trinitatem personarum ratione naturali, fidei dupliciter derogat scilicet quantum ad dignitatem, & quantum ad vtilitatem trahendi alios ad fidem. Probatur primo quo ad primam partem. Quoniam dignitas fidei est, vt sit de inuisibilibus, quae humanam rationem excedunt; quod probatur duplici autoritate Apostoli. prima est ad Heb. 11. Fides est substantia &c. Secunda est in 1. Cor. 13. Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius saeculi, neque principum huius saeculi sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, Denique probatur Conclusio quo ad secundam partem. Nam cum aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quae non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium; credunt enim quod huiusmodi rationibus innituntur & propter eas credamus.

Ex praedictis deducit S. Th. per modum correlarij, non esse tentandum probare quae fidei sunt, nisi per auctoritates, his qui auctoritates recipiunt: apud alios verò satis esse defendere, non esse impossibile quod praedicat fides; quod probat auctoritate Dionysij dicentis; si aliquis est, &c.

Videnda sunt ea, quae supra notauimus q. 12. a. 12.

CONTROVERSIA VNICA.

De veritate prima conclusionis; an videlicet sit possibile homini, vel Angelo sola vi intellectus naturalis diuinae Trinitatis notitiam adipisci?

D. Vos extremos ac inter se pugnantes errores referunt iuniores ex Durando in 1. diff. 2. q. 4. PRIOR est asserentium posse diuinam Trinitatis mysterium ratione naturali non solum probabiliter, sed etiam demonstratiue cognosci; quorum tria argumenta proponit ibidem Durand. & soluit, quibus etiam communiter respon-

Opiniones Doctorum.

respondēt recentiores. Eandem sententiam quidam tribuunt Richardo, cuius mentem ac verba S. Tho. hic ad 2. optimè interpretatur, quam expositionem sequitur Suarez lib. 1. cap. 12. Vasquez disp. 133. refert sententiam Raymundi Lulli dicentis inueniri posse demonstrationem euidentem Trinitatis, seque ad eodē euidentes demonstrationes excogitasse, vt Gentilem & Maumetanū conuincere valeant, si semel dumtaxat voluerit eas expendere. Addit Vasq. prædictum Raymundum loqui de inuentione talium demonstrationum, non ex solis naturę principijs, aut ex sola mentis virtute naturali, sed supposito lumine fidei, aut aliqua supernaturali illustratione diuinitus nobis infusa; quamuis de infidelium assensu loquens non explicet, vtrum sit necessarium lumen aliquod supernaturale, an vis argumentorum sola sufficiat. Huius viri rationes latè refert, & confutat Vasq. & post eum Suar. in dicto lib. 1. c. 11. num. 3. & seq.

POSTERIOR sententia siue potius error fuit quorundam dicentium sanctę Trinitatis mysterium esse contra rationem naturalem, quem immeritò quidam ascribunt Roberto Holcot in 1. dist. 3.

Inter hos duos extremos errores media incedit catholica veritas hic ab A. nostro D. definita, An autem ex gentilibus aliqui & insigniores præsertim Philosophi diuinarum personarum Trinitatem ex sacrarum scripturarum lectione vel auditione, vel maiorum traditione, vel etiam reuelatione cognouerint; non negat hic expressè S. Th. vt eidem audacter imponit Vasq. Nam responsio ad primum cui innitur Vasq. infringit argumentum, cuius erat intentio probare Trinitatem diuinarum personarum posse per rationem naturalem cognosci: Responsio verò sustinet allegata Philosophorum & Aug. dicta, non conuincere mysterium Trinitatis posse ratione naturali cognosci quo ad propria, sed quo ad essentialia quædam attributa personis appropriata; quicquid sit de notitia ex sacrorum librorum lectione, reuelatione, auditione aut traditione ab antiquis Patribus habita, quam manifestè admittit S. D. in 1. dist. 3. q. 1. a. 4. & 2. 2. q. 2. a. 7. Quid autē probent Philosophorum dicta ab eodem expositore producta, dicemus inferius.

Resolutio
Distinguitur
in quatuor
modos cognoscendi
veritatem, &
duo assensu
ad perfectam
cognitionem
concurrunt
veritas, & ratio
credibilis
ac ratio
veri.

SCIENDUM est primò veritatem aliquam posse pluribus modis à nobis cognosci. Primò demonstratiue & euidenter, sicut cognoscimus Deum esse & Deum esse bonum, sapienē, omnipotentem, &c. Secundo probabiliter, sicut cognoscimus multa contingentia ex causis naturalibus defectibilibus vel etiam ex causis liberis; & vtroque modo potest aliqua veritas multipliciter à nobis cognosci. Primò re ipsa ita se habere, prout verè est. Secundo possibilem esse. Tertiò nullā in se ipsa contradictionē inuoluere, siue non esse impossibile; qua quidē tria in re proposita in vnum coincidunt. Nam quod Deo nō repugnat est ei possibile; quod verò possibile est in Deo, quo ad illius esse naturale, necessariò est in illo; cum in æternis non differant esse & posse. Potest præterea veritas aliqua demonstratiue cognosci quo ad eius credibilitatem, vt. f. demonstratur eam esse euidenter credibilem. Tertiò, principaliter potest cognosci veritas ex auditu per fidem, quæ duplex est: Altera firmum ac certū habens intellectus assensu ex summa dicentis autoritate & ex infusa diuinitus menti qualitate seu lumine & instinctu, qualis est Theologica fides: Altera quæ

nutantē ac minimè certum hēt assensum, qualis est omnis humana fides, quæ fallaci dicentis hominis innitur testimonio, & qualitatis interius, inclinantis est efficacia destituta. Hoc fidei genus in qualibet inuenitur hæreticorum lecta, quo ad eas veritates supernaturales, quas simul cum Ecclesia catholica confitentur; cum Theologica fide nihil credat, vt probat S. Th. 2. 2. q. 5. a. 3. quamuis de prædictis veritatibus reuelationem mediatam & externam habuerint. Denique potest aliqua veritas ita à nobis cognosci, vt ex ei' notitia soluere valeamus vniuersa argumenta, quæ aduersus eā possint adduci, quemadmodum supra dixit S. Th. & Caiet. q. 1. a. 8. de sacra Theologia, cuius cognitio soluit omnia quæ produci potest ab infidelibus aduersus fidei vnitatem argumenta.

Secundo considerandum est, in omni nostra perfecta cognitione per naturalem discursum acquisita duos actus interuenire: Vnus est inquisitio cū apprehensione quæsitæ veritatis. Alius autē est iudicium & assensus de quæsitæ & apprehensa veritate, siue sit omnino certus, siue partis oppositæ vacillet admixta formidine. Si de puro loquamur assensu, pōt quilibet proposito sibi Trinitatis mysterio & quauis alia supernaturali veritate: ex naturali aliquo motiuo, puta dicentis autoritate vel audita ratione probabiliter assensum præbere per fidem humanam, vt de hæreticis ante diximus; sed hic assensus supponit de necessitate reuelationem supernaturalem in aliquo: At inuenire & simul apprehendere ac assentiri, nullam supponit reuelationem supernaturalem; & ideo impossibile est his omnibus actibus creatum intellectum ad sanctę Trinitatis arcanū, aut quodcunque verum supernaturale pertingere, vt benè probat hic S. D. & in 1. f. & alibi sæpè, & præsertim supra q. 1. a. 8. Nullum siquidem est obiectum naturale, quod cognitionem dubitationem aut suspensionem de sanctissimæ Trinitatis mysterio valeat excitare, vt inde principium inuestigationis sumat intellectus de tam sublimis mysterij veritate, certitudine aut probabilitate, ob rationem quam pro prima conclusionē S. D. adducit.

Tertiò notandum est, non omne euidenter credibile fide humana esse verum; multa namque sunt falsa probabiliora veris; quo fit vt rationis humane discursu demonstrari possit aliquod mysterium super naturale esse euidenter credibile, quod egregiè præstitit S. Doct. de fidei mysterijs in communi in 1. contra gent. c. 6. & 7. non tamen sit consequens vt demonstretur aut demonstrari valeat esse euidenter verum aut non esse impossibile. Contingit enim quandoque ex duabus contradictorijs propositionibus neutram esse euidentem, vt in re præsentī. Nam sicut non est euidenter impossibile Deum esse trinum & vnum, ita non est euidenter, id esse non impossibile seu esse possibile. Quo fit omnia quæ ex lumine naturali pro hac vel illa parte produci possunt argumenta, faciliè dissoluantur, quemadmodum tenentes quantitatem nō realiter distinguī à substantia, omnia pro distinctione reali producta solunt argumenta: cum tamen posita veritate realis distinctionis ipsius quantitatis à substantia, sit impossibile eam non distinguī; igitur vtriusque partis ineuidentia probabilitati coniuncta, ad omnia sufficit, hinc & inde producta argumenta diluenda.

Quarto recolenda sunt ea quæ latè superius examinauimus, & definiuimus aduersus Mol. q. 12. a. 5. Cont. vlt. nimirū per Dei potētiam fieri nō posse

Credibile
omne verū.

Contra Mol.
lin.

crea-

aut quæ nativæ sui intellectus efficacitate, diuinam prout in se est, intueatur essentia, aut quoduis obiectum supernaturale cognoscat; quam veritatem hic etiam probat Bannes optimis argumentis.

Conclusio-
nes de-
ductæ, &
probatae.

PRIMA CONCL. Impossibile est vi aut ratione pure naturali euidenter aut probabiliter inuenire aut apprehendere mysterium sanctissimæ Trinitatis. Hæc est prima conclusio D. Tho. quam egregia demonstratione superius posita probat in textu, & eandem in 1. dist. 3. q. 1. a. 2. & de veritate a. vlti. & alibi latius extendit hic Zumel. amplificat Hanc multis argumentis probant Turr. in 2. parte commentarij Zumel. disput. 1. Mol. super hoc a. Suarez lib. 1. de Trinit. c. 11. num. 4. & seq.

SECUNDA CONCL. Impossibile est per Dei potentiam fieri creaturam, cui sit naturalis cognitio mysterij Trinitatis. Hæc pater ex quarto notabili.

TERTIA CONCL. Ratione naturali demonstrari non potest mysterium hoc non esse impossibile. Probatur, quia si ratione naturali probari posset esse acriter mysterium hoc non esse impossibile, probaretur etiam illud esse verum, quod non posse probari diximus in prima conclusione. Sequela probatur, quoniam æquivalent non impossibile, & possibile; præterea esse & possibile esse quoad intrinsecam & naturalia non differunt in perpetuis.

QUARTA CONCL. Nulla ratione naturali potest demonstrari mysterium S. Trinitatis esse impossibile. Probatur: si ratione naturali demonstraretur hoc mysterium esse impossibile, tunc verum esset contrarium veritati, quæ consequens est absurdum; igitur & antecedens. Probatur sequela; quoniam omne quod docet fides est verum; cum sit à Deo ut à prima veritate dicente & reuelante; fide verò docente credimus diuinæ Trinitatis mysterium. Et rursus, omne quod nobis euidenter elucet ratione ac lumine naturali verum est à prima veritate derivatum: igitur si ratione naturali ostenderetur esse Trinitatis mysterium impossibile, verum esset contrarium veritati; immò sequeretur Deum mentiri, vel ut est auctor gratiæ, vel ut est auctor naturæ; quorum utrumque nedum absurdum est verum blasphemum. Quisquis enim mentitur vel ex eo quod fallitur, vel ad hoc ut fallat, mendacium proferit: Deus autem cum sit summè sapiens non potest falli; & cum sit summè bonus non potest ad falsitatem inducere. Ex hac conclusione sequitur.

QUINTA CONCL. Mysterium sanctæ Trinitatis non est contra fidem supra rationem naturalem. Probatur hæc conclusio, sicut præcedens. Eandem probat Suarez in dicto cap. 11. nu. 18. & 19.

SEXTA CONCL. Supposita fide potest hoc mysterium, non solum similitudinibus & exemplis explicari, verum etiam rationibus probabilibus suaderi, quod diuina congruat maiestati. Hanc declarat S. Tho. in responsi. ad 2. ubi etiam tres rationes soluit ad ostendendam huius mysterij probabilitatem communiter adductas. Eandem probant rationes omnes, quibus utitur S. Th. in q. 27. & alibi ad probandum in Deo esse duas processiones, quarum altera est generatio & altera spiratio: quæ non tantum formaliter sed etiam realiter abinuicem distinguuntur. Eandem concl. explicat & probat Zumel. in sua concl. 3. & Suarez in dicto c. 12. num. 8. & seq.

SEPTIMA CONCL. Supposita fide de hoc mysterio potest demonstratiue probari, non huius existentia mysterij, sed eorum ad illud congruentia, quæ consequuntur ipsum modo nostro intelligendi, immò etiam

ea, quæ sunt de intrinseca illius ratione; ut realem distinctionem personarum non esse per absurdum, sed tantum per oppositas relationes: quatuor tantum esse relationes in diuinis, & quinq; notionis; vnam personam esse in alia: omnes esse æquales, & plura similia. Hanc concl. statuit, S. Tho. hic in responsi. ad 2. & explicat exemplo petito ab excentricis & epiciclis in Astrologia.

OCTAVA CONCL. Omnia argumenta, quæ produci aut excogitari possunt aduersus hoc mysterium, sunt euidenter solubilia. Hanc concl. statuit generaliter de omnibus ad fidem pertinentibus S. D. supra q. 1. a. 8. & ibidem explicatur & probatur à Caietano & alijs recentioribus. Et probatur; quoniam omne argumentum non conuincens est euidenter solubile: at omne argumentum, quod produci possit contra mysterium sanctissimæ Trinitatis aut quamlibet aliam veritatem diuinitus reuelatam, est argumentum non conuincens; ergo &c. Probatur maior; quoniam cuiuslibet talis argumenti potest ostendi falsitas antecedentis aut consequentia, aut falsitatem eorum alterum potest negari, ut minimè conuincens intellectum; nec poterit vnquam sufficienter infidelis argumentator ostendere verum esse quod à fidei respondente negatur.

POSTREMA CONCL. Quamuis probabile sit ex antiquis Philosophis multos cognouisse mysterium Trinitatis ex lectione sacrorum librorum, aut veterum traditione, non tamen est certum eos hanc habuisse notitiam, aut personarum distinctionem, per ea quæ singulis propria sunt verè ac perspicuè, quantum necesse est intellexisse. Prior pars huius conclusionis est D. Th. in 1. loco superius allegato, & probant eam late Torres in quarta parte sui commentarij, quem ad verbum ferè sequitur Zumel. in responsi. ad 8. suum argumentum. Eandem asstrunt Mol. & Val. Posterior verò pars probatur ex doctrina D. Thom. in responsi. ad 1. qua plura glossat Philosophorum dicta; possunt autem eadem doctrina & expositiones cæteris omnibus Philosophorum antiquorum dictis accommodari, ut ex responsionibus ad argumenta patet.

CONTRA primam concl. militant tria prima argumenta D. Tho. quorum responsiones perspicuæ sunt in textu. Responsionem ad primum argumentum ab his quæ S. D. hic affert diuersam producit & explicat latissimè Torres in 3. p. commentarij, quam tamen indicauerat S. D. in 1. f. Solutionem autem tertij late explicat idem expositor in 2. p. commentarij post quartam concl. quem sequitur Zumel. in fine sue 3. conclus. & in 1. Mol. & est doctrina D. Th. in 1. cont. gent. c. 5.

Contra eandem primam concl. est hoc argumentum, Qui euidenter iudicat conclusionem aliquam esse scibilem, iudicat etiam consequenter eam esse veram; ergo similiter si quis euidenter iudicat aliquid esse credibile, iudicat euidenter illud esse verum; constat autem ex dictis in principio huius Tractatus quemlibet fidelem & præsertim Theologum iudicare euidenter mysterium sanctæ Trinitatis esse credibile; ergo iudicat euidenter illud esse verum. Resp. cum Cai. 2. 2. q. 4. nullam esse consequ. quoniam aliquid dicitur scibile & verum ex proprijs intrinsecis; credibile autem est aliquid ab extrinseco testimonio; quamobrem ratio quæ facit euidenter credibile non efficit iudicium euidentis de veritate.

Contra eandem concl. sunt alia multa argumenta, quæ proferunt & solunt hic Tor. Ban. Zumel.

Argumenta
conclusionis.

ob congruentiam
concl.

Zumel. Mol. & Val. quæ apud eos vide si placet; A sunt tamen ex maiori parte desumpta ab A. nostro D. in 1. s. & de verit. q. 10. a. vlt.

CONTRA secundam concl. est argum. quartum Ban. quod est quintum apud Zumel. cui eadem responsione satisfaciunt. Videnda sunt que diximus in allegata contr.

CONTRA tertiam, & quartam concl. sunt argumenta, quæ producit & soluit Ban. post tertiam suam concl. & Zumel. post secundam & Suarez in dicto c. 11. nu. 102.

CONTRA ultimam conclus. quo ad primam eius partem est dictum Apostoli 1. Corin. 2. relatum hic à D. Thom. Loquimur Dei sapientiam, quam nemo principum huius sæculi cognouit, i. Philosophorum secundum glossam. Resp. primò Apostolum loqui de principibus sæculi formaliter ut principes sunt sæculi, quod eis convenit ex rationis & sapientiæ naturaliter acquisitæ præstantia; quamvis eorum aliqui notitiam aliquam habuerint prædicti mysterij modis iam dictis.

Secundo resp. eam cognitionem, quam Philosophorum habuere nonnulli ex libris Moyli & Prophetarum, non ita fuisse perspicuam, ut verè esset cognitio trium in vna deitate personarum, quo ad propria singularum constitutiva; sed quo ad appropriata tantum, ut hic ait S. Th. ad primum.

Sed contra respons. hanc adduci potest auctoritas D. Tho. in 1. s. ubi ait philosophos per essentialia tantum attributa diuinæ trinitatem cognouisse; & addit aliam responsionem de lectione sacrorum librorum & auditione ab alijs. Resp. secundam illam responsi. D. Th. intelligendam esse quo ad eum sensum, quem verè possent Philosophorum verba significare; quamvis talis ab eis sensus non fuerit intentus nec apprehensus.

CONTRA secundam partem eiusdem concl. producit Valq. ex Aug. Eugubino lib. 1. de perenni Philos. c. 1. & ex Suida ser. 3. & Lact. quædam dicta Platonis, Mercurij Trif. Damasc. & Oraculi Delphici, quæ eisdem aptè patiuntur glossas, quas adhibet S. D. eorundem Philosophorum dictis ad primum. Quare superuacaneum arbitror in eis recensendis & exponendis laborare; cum præferim Valq. post dictorum omnium relationem in fine primi capituli referat & approbet sententiam Eugubini deducens antiquos illos Philosophos aliquam, licet non omnino perfectam, Trinitatis notitiam habuisse: quo dicto confirmatur posterior illa pars ultimæ nostræ conclusionis; loquitur enim de imperfectione cognitionis, quæ non attingit propria personarum; alioquin imperfecta non esset Trinitatis cognitio.

DVAS hic versant controuersias Ban. & Zumel. PRIOR est, an de potentia Dei absoluta fieri possit, ut homo seclusa visione beatifica habeat notitiam euidentem mysterij Trinitatis? quam etiam tractat Suarez locis supra notatis. Huic aliam annectunt: an. s. euidentia in attestante valeat esse simul cum fide? Sedes huius controuersie propria est in 2. 2. q. 5. a. 1. & 3. p. q. 11. a. 1.

POSTERIOR est: an hoc mysterium Trinitatis possit efficaciter probari aduersus Iudeos, qui admittunt vetus testamentum: an solum aduersus hereticos, ex nouo testamento ab eis recepto? Sed cum hic loquatur A. D. de cognitione Trinitatis ex lumine intellectus naturali, prædicta verò quæ sita ad notitiam pertineant reuelatam, impertinentia sunt huic articulo manifestè. Remittantur igitur ad propria loca, in quibus vberius poterunt examinari ac domino largiente definiri.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum sint ponenda notiones in diuinis.

AD Secundum sic proceditur, Videtur, quod non sint ponenda notiones in diuinis. Dicit enim Infr. q. 40. Dion. in 1. cap. de diu. nom. * quod non est audendum dicere aliquid de Deo, præter ea quæ nobis in sacris eloquijs sunt expressa: & sed de notionibus nulla sit mentio in eloquijs sacra scripturæ. Ergo non sunt ponenda notiones in diuinis.

2. Præterea. Quicquid ponitur in diuinis, aut pertinet ad vnitatem essentie, aut ad Trinitatem personarum. Sed notiones non pertinent ad vnitatem essentie, nec ad Trinitatem personarum, de notionibus enim neque prædicantur ea, quæ sunt essentie. non enim dicimus quod paternitas sit sapiens, vel creet. neque etiam ea quæ sunt personæ. non enim dicimus quod paternitas generet & filiatio generetur. Ergo non sunt ponenda notiones in diuinis.

3. Præterea. In simplicibus non sunt ponenda aliqua abstracta, quæ sint principia cognoscendi: quia cognoscuntur seipsis: sed diuina personæ sunt simplicissimæ. Ergo non sunt ponenda in diuinis personarum notiones.

Sed contra est quod dicit Io. * Damasc. differentia Lib. 3. hypostaseon id est, personarum in tribus proprietatibus, id est paternali, & filiali, & processionali, recognoscimus. Sunt ergo ponenda proprietates, & notiones in diuinis.

Respondeo. Dicendum, quod Præpositius attendens simplicitatem personarum, dixit non esse ponendas proprietates, & notiones in diuinis. Et sicubi inueniatur, exponit abstractum pro concreto. Sicut enim consueuimus dicere, rogo benignitatem tuam, id est te benignum: ita cum dicitur in diuinis paternitas, intelligitur Deus pater. Sed sicut ostensum est supra * diuinis utamur nominibus concretis, & abstractis. Quia secundum quod intelligimus, sic nominamus. Intellectus autem noster non potest perungere ad ipsam simplicitatem diuinam secundum quod in se est consideranda: & ideo secundum modum suum diuina apprehendit & nominat, id est secundum quod inuenitur in rebus sensibilibus, a quibus cognitionem accipit. In quibus ad significandum simplices formas, nominibus abstractis utimur: ad significandum verò res subsistentes, utimur nominibus concretis. Vnde & diuina, sicut supra dictum est, ratione simplicitatis per nomina abstracta significamus: ratione verò subsistentie, & complementi, per nomina concreta. Oportet autem non solum nomina essentialia in abstracto, & in concreto significare (ut cum dicimus deitatem & Deum, vel sapientiam & sapientem) sed etiam personalia, ut dicamus paternitatem, & patrem. Ad quod duo precipue nos cogit. Primum quidem hereticorum instantia. Cum enim confiteamur patrem & filium & spiritum sanctum, esse vnum Deum, & tres personas, quærentibus quo sunt vnus Deus, & quo sunt tres, sicut responderetur, quod sunt essentia vel deitate vnum: ita oportuit esse aliqua nomina abstracta, quibus responderi possit personas distinguere. & huiusmodi sunt proprietates, vel notiones in abstracto significantes, ut paternitas & filiatio. Et ideo essentia significatur in diuinis ut quid, persona verò ut quis: proprietates autem ut quo. Secundo, quia vna persona inuenitur in diuinis referri ad duas personas, scilicet persona patris ad personam filij, & personam spiritus sancti. Non autem vna relatione, quia sic sequeretur, quod etiam filius & spiritus sanctus vna & eadem relatione referrentur ad patrem. Et sic cum sola relatio in diuinis multiplicet trinitatem, sequeretur, quod filius & spiritus sanctus non essent dua persona. Neque tamen potest dici (ut Præpositius

172
171
195
Ca. 1. par. 8

q. 3. ar. 3. ad 1. præcipue
q. 13. ar. 1.

Locum nam proxime citatum

295